Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 123

Quelle:
Copyright:

cipiunt Evangelia Miſſarum pro diverſis opportunitatibus, quorum Inſcriptiones minus obviae: *In commotione gentium. In die belli. Ad uelandam maritatam. In aduentu iudicum*, videlicet legatorum a Principe.

Fol. 11. *Beato Papae Damaſo Hieronimus.* Haec in Evangelia Praefatio, quae incipit: *Nouum opus facere me cogis* &c. extat edit. *Vallarſii Opp. Hieron.* T. X. *col.* 659. cui Textui noſter paene ad literam concordat, niſi quod pro: *Ita calamo temperavimus*, ſaltem aeque bene legat *imperavimus.* Sequitur: *Incipit Prologus Quatuor Evangeliorum.* Nempe, ut edit. *cit.* T. VII. *col.* 1. *Plures fuiſſe qui Evangelia ſcripſerunt* &c. Etiam hic lectio caſtigata eſt. Habetur tamen *lignis mobilibus* pro *immobilibus* et fortaſſis non vane; licet enim *Exod.* 25. v. 15. vectes illi e circulis extrahi prohibebantur, quis tamen neget vectem circulo inſertum *mobilem* eſſe? Mira praeterea inverſio: *nequaquam legis umbra ſuccedente euangelii ueritatem ſeruabant*, pro *nequaquam legis umbram ſuccedente evangelii veritate ſervabant*, quae tamen et ipſa defendi poſſet, ſi dicas, Hebraeos illos, poſtquam in *Jeſum* crediderant, denuo vacillaſſe, et *Matthaei* Evangelio confirmandos fuiſſe. Denique rectius, ut mihi videtur, Codex: *illud probemio caelo veniens eructuauit*, quam Edita: *in illud prooemium coelo veniens eructavit.* Ad verba: *Satisque miror Euſebi* &c. manum de pagina ſuſtulit Librarius noſter; quae enim de ſolo *Matthaeo* deinceps ſequuntur, non erant ad inſtitutum Prologum in omnia IV. Evangelia tradere volentis. Igitur continuat: *Euſebius Carpiano Fratri In Domino Salutem. Ammonius quidam Alexandrinus* &c. ut edit. *cit.* T. X. *col.* 667. In hac de graeco verſa Epiſtola, qua docet *Canonum* ſuorum *harmonicorum* uſum *Euſebius*, utut aliquot menda in Codice cubent, duo tamen ad graecum magis exacta ſunt: *decem numero* (δεκα τον ἀριθμον) pro *decem numerorum*, et *ſupputatio per minii* (δια κιννα&βαρεως) *diſtinctionem* pro *per lineae diſtinctionem.* Rectius item: *qualicumque de quatuor Evangeliis*, quam: *cum quattuor Evangeliis.* Non autem continuo ſuccedunt *Canones*, ſed primo ſubpoſititium illud Monitum: *Hieronimus Damaſo Papae. Sciendum etiam, ne quis ignarum* &c. ut edit. T. *cit. col.* 665. in quo nihil peculiare, niſi quod noſter in fine pro *in perpetuo* ponat *in chriſto.* Tum: *Incipit Argumentum Secundum Matthaeum*, notum illud e Bibliis gloſſatis: *Matthaeus ex iudea ſicut in ordine primus* &c. Demum: *Incipit Breuiarium Ejusdem.* Intellige *Matthaei*, non *Hieronymi;* multo enim antiquiora, nec ad Verſionem *Hieronymianam*, ſed Vulgatam *Italicam* adaptata ſunt iſthaec *Breviaria* ſeu *Capitularia*, licet etiam temporis lapſu *Hieronymianae* a Librariis praefigerentur. Agit de iis *Joſ. Blanchinus* P. I. *Evangeliarii Quadrupl. Prolegom.* 2. p. 50. et P. II.